



Ka. 37.

DISSERTATIONEM INAUGURALEM MEDICAM
DE
INTERPRETIBVS HIPPOCRATIS
GRAECIS

ANNVENTE
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
IN
STVDIORVM VNIVERSITATE ALTORFINA
PRO
SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
ADIPISCENDIS

PVBLCICE PROPONET VENTILANDAM
AVCTOR
PAVL SIGMVND CARL PREV
NORIMBERGENSIS.

DIE V. NOVEMBER. MDCCLXXXV.

ALTDORFII
EX PRELO IOANNIS PAVLI MEYERI
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZUHALLE

SACRI ROMANI IMPERII
PERILLVSTRIS AC LIBERAE
REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS
SENATORIBVS SPLENDIDISSIMIS
VIRIS
PERILLVSTRIBVS AC GENEROSISSIMIS
DOMINO IOANNI SIGISMVND
HALLERO
AB HALLERSTEIN
DOMINO CHRISTOPHORO GVI-
LIELMO WALDSTROMERO
A REICHELSDORF
DVVMVIRIS DE REPVBLICA MERITISSIMIS
DOMINO SIGISMVNDO FRIDERICO
FVRERO
DE HAIMENDORF
REI SACRAE AC LITERARIAE EPHORO
ATQVE
VNIVERSITATIS ALTORFINAE CVRATORI PRIMARIO
DOMINO CAROLO CHRISTOPHORO
SEBASTIANO HARSDOERFERO
AB ENDERNDORF
DOMINO CAROLO FRIDERICO
BEHAIMIO
A SCHWARZBACH
SCHOLARCHIS ET ACADEM. ALTORF. CVRATORIBVS
DOMINO CHRISTOPHORO AN-
DREAE IM HOF
AB HELMSTATT
REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS A CONSILII BELICIS
DOMINO GEORGIO FRIDERICO
GVILIELMO POEMERO
SCHOLARCHAE ET VNIVERSIT. PATRIAE CVRATORI
PATRIAE PATRIBVS SANCTISSIME COLENDIS
MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS
GRATIOSISSIMIS

SVMMI NVMINIS GRATIAM
PRO
INCOLVMITATE VITAE PERPETVA
CONSILIORVM PRVDENTISSIMORVM EVENTV
FAVSTISSIMO
STIRPIVM SPLENDIDISSIMORVM
FLORE PERENNI
AC
FELICITATE OMNIGENA NVLLIS INFORTVNIIS
TVRBANDA MINVENDA
IMPLORANS
HASCE SVORVM LABORVM PRIMITIAS
OMNI QVO PAR EST OBSERVANTIAE CVLTV
D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

CVLTVR DEVOTISSIMVS

AVCTOR.

L. B.

Elaborandae dissertationis inauguralis officio mihi incumbente, cur scribendi materiam de Hippocratis Coi interpretibus antiquis elegerim, multos fore, qui a me quaerant, non dubito: hinc causas, quae me ad id argumentum pertractandum impulerunt, paucis exponam. Cum ab eo tempore, quo adolescentes in severioribus disciplinis erudiri solent, rei literariae et scientiarum artiumque liberalium historiae amore captus essem, et, maturante aetate, sequutus exemplum Parentis optimi, ad medicinam animum et, qualecunque in me est, studium applicavissem, Cel. ACKERMANNVM artis magistrum nancisci mihi contigit, qui ardorem meum ad talia studia non modo non improbat, sed potius institutione, consilio, ac librorum copia quavis ratione adiuvit, ut, quantulacunque tandem sint, omnia ei viro me debere, gratissimo animo nunquam non sim professurus. Non minutus est amor literariae, imprimis medicinae, historiae, postquam hunc virum audiui, imo auctus est: cumque mox intelligerem, ductus etiam exemplis recentioribus, multa, quae et in historia medicinae proprie dicta,

et in literaria eius parte proponi solent, et laudari adeo, esse falsa, et magis ex ingenio scribentium, quam ex aliis iisque exquisitioribus historiae fontibus petita; cum tandem, ductus et institutione et exemplo praeceptoris optimi, intelligerem, nullam certitudinem (sine qua historia esse nequit) existere in medicinalis scientiae historia, nisi ea ex ipsis hauriatur fontibus, ingenioque locum in historia quacunque dari non debere, nisi in recte ordinandis, digerendis, tradendisque iis, quae fontes doceant, neque medicinae historiam certam atque ab omni commentorum spurcitie expurgatam componi posse, nisi singula, quae in ea enarrari debent, vera sint atque extra omnem dubitationem posita, materiam elegeri, quae, si etiam magni ponderis non est, laboris tamen fuit non exigui, interpretum nempe Hippocratis graecorum enarrandorum.

Et primum quidem commentariorum Philothei in aphorismos Hippocratis, quorum exemplum graeco idiomate exscriptum in bibliotheca Universitatis nostrae publica exstat, fragmentum exhibere, eique nonnulla de reliquis Hippocratis commentatoribus graecis attexere mecum statueram: sed postquam in exquirendis iis graecis medicis, qui Hippocratem illustraverant, meus labor aliquantulum processerat, mox perspexi, fore, ut opusculum meum ipsa sua mole laboraret, ubi et spissimum Philothei commentariorum volumen, cum notis criticis atque exegeticis, ac cum latina versione hac occasione in lucem emitterem.

Hinc

Hinc consilium cepi in hoc inaugurali specimine memorandorum Hippocratis interpretum Graecorum omnium, ut appareat, quanto in honore fuerit Hippocrates apud medicos Graecos cuiusque sectae, utque perspiciatur, quantum fieri potest, quid quisque veterum commentatorum ad Hippocratem illustrandum contulerit. Consilium Philothei commentariorum edendorum, quorum fragmenta graeco idiomate exscripta typis vulgavit Anton. Musa Brassavolus in commentariis in Aphorismos Hippocratis et Galeni, Basil. 1541. fol. et vir magni nominis maiorisque doctrinae, I. A. M. Nagelius, Prof. Altdorfinus, in programmate anniversario, munificentiae Treuiv dicato — Altdorf. 1788. 4. quaeque integra nondum prodierunt, ad alia tempora reservatum est.

Sed multae difficultatis magnique laboris opus erat interpretum Hippocratis enumeratio. Non enim, quae scriptores de hoc argumento protulerant, sequi poteram, hi enim omnes in eo pertractando non accurate satis fuerant versati; sed ipsi fontes mihi erant adeundi, ut recte pateret, quinam medicorum veterum, ac ex quam secta, in Hippocratem essent commentati, et quemnam successum in eo laboris genere habuissent. Ea de causa medicos veteres paene omnes, aliosque auctores veteres, qui de rebus ad medicinam facientibus scripsere, evolendi laborem minime detrectavi, neque destiti ab incepto meo, usque donec finem, quam mihi proposueram, essem adsequutus.

Erro-

Errorum igitur, quos parum cavit natura, veniam impetraturum esse me, eo confidentibus spero, quo maiore diligentia, ne eos, quos incuria fundit, committerem, adnissus sum. Doleo tamen, supremam Foesii editionem Hippocratis operum non ad manus fuisse, quae Genevae duobus voluminibus prodiit, 1675. Critica enim ei adnexa est commentatorum Hippocratis enarratio, quae magnum forte mihi emolumentum adferre potuisset, si ea uti contigisset.

Quod ad ordinem, quo opusculum meum composui, pertinet, prolixius de eo in prolegomenis opellae ipsi praemissis locutus sum.

Ultimo loco aequos iudices earum rerum, quas in hoc libello pertractavi, rogo, cogitent, me non ideo haec scripsisse, ut alios erudiam, sed ut ipse erudiar. Dabam Altdorfii, d. v. Nov. MDCCVC.

DE
INTERPRETIBVS HIPPOCRATIS
GRAECIS.

PROLEGOMENA.

Antiquissimis quidem temporibus medicinam apud Graecos existisse notum est; cum tamen a nemine fere nisi a sacerdotibus excoleretur, praecipue ab iis, quibus Aesculapii cultus curae fuit, non potuit, ipsa quin rudis satis diu et exilis permaneret, donec fors paullo melior ex philosophorum laboribus illi comparata est. Qui cum enim orbem universum suis complecterentur contemplationibus, Pythagoram aemulati, a quo Aegyptiorum doctrina ad Graecos translata est, in eo quoque haud parum versati sunt, ut humani corporis elementa detegerent, qualitates examinarent, quibus ipsum singulaeque eius partes polleant, vires, quibus regatur, investigarent, conditiones denique, quibus utatur, mutationesque varias, quas subire cogatur, fida, quantum possent,

A obser-

observatione exquirere. Quin et eorum nonnullos morbis ipsis medelam adhibuisse relatum legimus.

Neque tamen philosophis solis incrementa, quae ante Hippocratem medicina cepit, tribuenda sunt; alia quoque multa contulerunt ad fines eius, nimium coarctatos antea, dilatandos. Pertinet huc gymnasticae artis studium, quod tunc temporis apud Graecos invaluit, pertinet inprimis et hominum et morborum copia in dies adaucta, quae Asclepiadas tandem coegit, ut alienigenas quoque in templa sua reciperent, iisque medicinam traderent, cum ipsorum numerus omnibus aegrotis, qui exstabant, sanandis non amplius sufficeret; unde medicina in plurimum, quam antea, pervenit hominum communionem atque scientiam.

Iam vero Hippocrates, Magnus posteris per eminentiam diuus, prodiit, vir, in quo eorum nihil desiderare posses, quae vel ad animi decora pertinere existimari possint, vel ad omnia, quae bonum medicum efficiunt. Florentissimam Asclepiadarum scholam, Coam, et patriam et eruditionis fontem nactus, primus ex iis fuit, qui genus ab Aesculapio deducebant, qui philosophorum scholas adiit, his, quae in templis didicerat, minime contentus; primus etiam in scientiae formam redegit medicinam, ne amplius esset aut sterilius solummodo philosophicarum contemplationum, aut empiricarum plane traditionum

ditionum et *επισημίων* opus, quare Celsus eum medicinam a philosophiae studio separasse memorat; primus denique Asclepiadarum scriptis mandavit, quae excogitaverat, et expertus fuit in medicina; ac miraberis sane, si eius libros accuratius pervolves, felicissimum viri in observandis morbis ingenium, providam in sanandis curam, summam in enarrandis diligentiam. Hos eius libros, quibus exposuit, aut quae sentiebat de medicinalibus rebus, aut quae expertus fuerat, postera aetas fecit maximi, in iis omnis medicae scientiae et theoreticae et practicae fontem praecipuum esse existimans. Hinc in legendo et explicando Hippocrate operam collocabant praecipuam et medici mox post eum florentes, et progressu temporis ii quos infelix istud sectarum studium in diversas partes traxerat. Et enim cuiusvis fere doctrinae affectae id egerunt, ut, longissime quamvis aberrarent a vero tramite, quo, naturam secutus, inceserat Hippocrates, illum tamen a suis partibus stare aut crederent, aut saltem adversariis obilicerent, ideoque in scriptis eius interpretandis, iisque ad theorias, quas defendebant, accommodandis plurimum sudaverunt. Ipse quoque Galenus non minimam laborum suorum partem impendit in explanandis libris Hippocratis, quos gravissimos putavit, etsi solus in medicinae studio excellere, solusque novam sectam medicinalem, pal-

mam omnibus reliquis eripientem, condidisse videri cupidus erat. Desitit vero cum Galeno illud studium, quo superiorum temporum medici ad Hippocratem legendum impulsu fuerant. Galenum sequuti sunt medici dogmatici, post hunc auctorem viuentes, Hippocrate, qui prioris aevi medicis exemplum fuerat, relicto. Empirici medicamenta sectabantur, omnem eam doctrinam, quae ex librorum lectione comparatur, ineptam putantes. Methodici, Theffalum sequuti, in stricto et laxo medicinalis scientiae summam consistere autumantes, et Hippocratem et alios medicos vituperabant, qui eorum castra non adibant. Quae omnia perpendenti mirum ulli non videbitur, et Hippocratis libros parum lectos fuisse post Galenum, et eorum, quae Hippocrates aut senserat, aut expertus fuerat in medicina, scientiam ad eos medicos, qui Galenum excipiebant, non ex genuinis purisque fontibus, sed ex Galeni libris pervenisse. Hinc etiam factum est, ut pauci essent librorum Hippocratis interpretes post Galenum viuentes, utque eorum opera, quam interpretando Hippocrati impenderunt, parum utilitatis afferret.

Ex his vero, quae haecenus memoravimus, patet, enarranti interpretum Hippocrateorum antiquorum historiam summam esse curam impendendam, ut semper tempus, quo quisque interpretum vixerit, sectamque, cui addictus fuerit, respiciat, ut inde demonstret,

monfret, quid temporibus, quid feftae, quid viro fit attribuendum. Propterea, cum confilium mihi fit interpretum librorum Hippocratis antiquorum ad Arabum ufque tempora hiftoriam fcribendi, primum Hippocraticam, ut aiunt, fcholam pertractabo, deinde medicos, illam excipientes, pro feftarum, quas fequebantur, ratione, et eos, qui ex grammaticorum grege Hippocrati, vel edendo vel illuftrando, hoc quidem temporis fpatio, operam dederunt, enarrabo, poftea, Galeno memorato, de iis, qui hunc fequuti funt, differam; ultimo denique loco eos collocaturus, qui a recentioribus iniuria in commentatorum numerum recepti funt.

SECTIO I.

SCHOLA HIPPOCRATICA.

MEDICI HIPPOCRATEM INTERPRETATI HVC PERTINENTES.]

Qui mox ab Hippocrate exftiterunt medici, maxima quidem ex parte eius veftigia prefferunt, fi eos cum illis, qui feriori aevo vixerunt, compares; tamen et hos ab illa via, quam, natura duce, ingreffus erat Hippocrates, feduxit feculi genius. Iis enim temporibus ftudium philofophiae inprimis cultum

medicos quoque eo protrudit, ut contemplationes theoreticas experientiae ipsi in morbis indagandis praeferrerent; praeter ea Alexandri expeditionibus alieni mores, victus alienus, alienorum denique medicaminum antea incognitorum usus invaluerunt. Quae omnia effecere, ut prisca medicinae forma, qualis apud Hippocratem fuerat, sensim deleteretur. Hippocrates enim, quamvis non omnem theoriam negligeret, sed ipse Empedoclis doctrinam de elementis quatuor, quibus constituatur humanum corpus, deque humoribus inde oriundis, quorum vitio morbi nascantur, reciperet, in ipsa tamen morborum curatione manifestas solum, quae morbum induxerint, causas investigavit, symptomata, affectionem comitantia, diligenter observavit, quae vero in aegro antea adfuerunt, probe respexit, nulla fere abditarum causarum, in humoribus latentium, ratione habita. Post eius vero tempora plane diversam in medicina viam incedebant medici. Querebant solum, quid mutatum esset in humoribus, eo fine curationis posito, ut eos aut corrigerent, aut evacua-
rent, prout vel qualitate vel nimia copia peccare visi sunt. Ipse denique medicamentorum apparatus auctior, qui Hippocratis aevo adeo exilis erat, medicinam et magis dilatavit, et id effecit, ut a multis minus ad theoriam de morborum originibus, magis ad usum medicamentorum respiceretur.

Et

Et haec quidem fuit medicinae parvo post Hippocratis excessum tempore conditio. Protulit tamen ea actas nonnullos homines, qui irruenti medicinae cladi obniterentur, hique medicis ansam praebuerunt, ut in diversas postea partes secederent. Quid inde, aut emolumenti aut damni medicina ceperit, sequenti sectione perspicimus; nunc nostrum est, medicos huius periodi recensere, qui Hippocratem interpretati sunt, eo quidem ordine, quo ipsos vixisse constat. Quorum antiquissimus est

DIOCLES.

A patria Carystius cognominatur. Brevi post Hippocratem vixisse tempore, ex plurimis veterum testimoniis patet ¹⁾. Tantam ille homo in medicina gloriam adeptus est, ut ipse Galenus eum simul cum Hippocrate *αριστος ιατρος αμα και ανθρωπος* appellare haud dubitaret ²⁾. Ex Asclepiadarum quidem familia ortus, tamen Pythagoreorum quoque scholas adiisse videtur, cum septenarium numerum in

A 4

rebus,

1) *Gal. de dissect. uteri*, cap. 10. pg. 282. t. IV. edit. Charterii. *Plin. H. N. l. 26. c. 2.* *Cels. praef.* pg. 3. ed. Krauf. — Cl. Harles eum circa Ol. CXXXIII. vixisse refert in *introduc. in lingu. graecam*, T. I. pg. 540. seductus nimirum epistola Diocli adscripta ad Antigonum regem. cf. de hac epistola Schulzius in *Hist. Med. Per. II. c. 1.* pg. 337.

2) *de dieb. decret.* l. I. c. 2. pg. 451. t. VIII.

rebus, quae ad medicinam spectant, saepius observaverit 1). Anatomia eius, quamquam rudior erat et ex animalium dissectionibus hausta 2), in eo tamen a Galeno laudatur, quod primus extiterit, qui anatomicas administrationes literis mandaret 3). Omnia animalia ex duobus consistere docuit, *ἐκ τοῦ φερόμενου*, καὶ *ἐκ τοῦ φερόμενου*; alterum esse facultatem, quae corpus regat, alterum corpus ipsum 4). Ceterum doctrinam Hippocratis de elementis sequutus est 5). Febrem non ipsum morbum, sed morborum tantum *ἐπιγενεῖα* esse credidit 6); omnes sudores praeter naturam oriri, cum, quamdiu recte gerantur in corpore, nec cibi male coquantur a natura, fieri nequeat, ut sensibilis per cutem excernatur humor 7); nullum obtinere discrimen inter crisin morborum

- 1) cf. *Macrob. somn. Scipionis*, apud quem Dioclis fragmentum de generatione foetus legimus. Eadem forte ratio eum impulit, ut loco vigesimi morborum dici, quem Hippocrates criticum esse putavit, vigesimum primum poneret. cf. *Gal. de diebus decret. l. I. c. 10. pg. 465. l. 2. c. 13. pg. 492. t. VIII.*
- 2) quod patet ex ipsius sententia de cotyledonibus uteri, cf. *Gal. de uteri dissect. c. 9. pg. 281. t. IV.*
- 3) *de anat. administ. l. 2. c. 1. pg. 47. t. IV.*
- 4) *Gal. comm. II. in Hipp. Prognost. text. 6. pg. 623. t. VIII.*
- 5) *Gal. meth. med. l. 7. c. 3. pg. 156. t. X.*
- 6) *Gal. hist. philos. c. 39. pg. 58. t. II.*
- 7) *Gal. comm. I. Aphor. 15. pg. 30. t. IX. de symptom. diff. c. 6; pag.*

borum et Iysin 1). Singularem studio dietam sanorum eum excoluisse testantur fragmenta, quae ex eius libris servavit Oribasius 2). In observandis et curandis morbis maxime Hippocratis exemplum imitatus est, ut ex Caelio Aureliano patet, qui saepissime eius medelam in morbis refert. Chirurgiam probe calluit 3).

Quo autem successu Hippocratem interpretatus sit, vix novimus, nisi quod Galenus, eum logica demonstratione contra Hippocratem disputasse, referat 4). Citantur Galeno eius commentarii in Hippocratis libros de officina medici et de articulis, quos complexus est singulari libro, cui titulum fecit *περι των κατ'ιγρσιον* 5).

A 5

fecit

pg. 43. t. VII. comm. III. in l. de alim. pg. 269. t. VI. Ex hoc Dioclis placito colligere videtur Cl. Sprengel, (*Gesch. der Arzneyk. I. B. pg. 303*) omnem sudoriferorum usum respuisse Dioclem in medicina, quod vero non fecisse, quin plurimos sudores commovisse testatur *Cael. Aur. tard. l. 3. c. 8. l. 2. c. 14.*

1) *Gal. de dieb. decr. l. II. c. 4. pg. 482. l. I. c. 9. pg. 464. t. VIII.*

2) *Collect. medic. passim.*

3) *Celsus, l. VIII. c. 20. pg. 553. Gal. comm. IV. in l. de articulis. nr. 40. pg. 454. et seqq. t. XII.*

4) *comm. III. in l. Epid. t. III. pg. 87.*

5) *comm. de off. med. init. pg. 1. t. XII. comm. III. de articulis. text. 23. pg. 376. t. XII. cf. Erotianus sub verbo αμβαν, quod apud Hipp. l. de articulis. occurrit, quod vero Diocles in l. περι των κατ'ιγρσιον interpretatus est.*

fecit *περι γυναικειων*, et *προγνωστιων*, in Hippocratis libros, eadem inscriptione praeditos, interpretatus est? — Suspicerer id equidem, Erotiani et Caelii auctoritate ductus. Ille enim, dum verba quaedam in Hippocratis libro *περι γυναικειων* occurrentia explicat, quid Diocles in haec verba scripserit, quoque affert, hic autem Dioclem in Prognostico aduersatum fuisse asseverat sententiae de lumbricorum pernicie, quam vindicavit, et quidem in Prognostico Hippocrates 1). Erotianus Dioclis commentarios allegat sub verbis: *αμβλην, εκτομου, κοτυληδονες, σηκαμοειδες, φωδες*, quae adeas.

PHILOTIMVS.

Dioclem excipit Philotimus, Praxagorae discipulus, cuius sententiis tenax inhaesit. Hinc de Praxagora, etsi Hippocratem non interpretatus est, memorandum hic est, cum de anatomica scientia primum bene esse meritum, et hominum cadavera infecuisse 2). Hippocratem enim et Dioclem, et qui ante hos fuere, anatomicam scientiam ab animalibus, quae dissecuerant, repetiisse, admodum probabile est. Primus deinde arterias a venis distinguit,

1) *Iard. l. IV. c. 8. pg. 537.* (ed. Amman. 1709.)

2) *Gel. de dissect. uter. c. 10. pg. 282. t. IV.* ubi Praxagoram recte sensisse de cotyledonibus, affert.

xit ¹⁾, in illis statuens spiritum, vi quidem arteriis congenita ²⁾, his vero sanguineum moveri laticem. Doctrinam de humoribus humani corporis auxit, pituita vitrea ab eo primum memorata. Nonnullis iam medicamentis hucusque ignotis usus est, quorum cognitio per Alexandri expeditionem ad Graecos pervenisse videtur ³⁾.

Philotimus, Praxagoram praeceptorem suum et Aristotelem, quo etiam Praxagoras usus esse videtur, in medicina maxime sequutus est, neque ab utroque videtur deslexisse, nisi, quod quasdam opiniones, in quibus errarant, maiori adhuc amplexus sit pertinacia. Eo enim processit impudentiae, ut cerebrum, cuius usum ad id solum cum Aristotele adstrinxit Praxagoras, ut cor refrigeraret, plane inutile esse affirmaverit ⁴⁾. In morborum tamen cum internorum tum externorum curatione felix fuit ⁵⁾.

Interpretem fuisse libri de officina medici, verbo tantum meminit Galenus ⁶⁾. Erotianus eum non memorat.

HERO.

- 1) *Gal. de differ. puls. l. 4. de dignosc. puls. l. 4. c. 2. pg. 160. t. VIII.*
- 2) *Gal. de Hipp. et Plat. plac. l. 6. c. 7. pg. 177. t. V.*
- 3) *Cael. tard. l. 1. c. 4. pg. 321.*
- 4) *Gal. de usu part. l. 8. c. 3. pg. 485. t. IV.*
- 5) *Cels. l. 8. c. 20. pg. 554. Cael. Aur. passim.*
- 6) *comm. I. de off. med. init. pg. 1. t. XII.*

HEROPHILVS.

Clarissimus fere sui aevi medicus. Chalcedona patriam, Praxagoram praeceptorem nactus est, quem tamen et doctrina et fama longe superavit. Summam vero gloriam adeptus est in anatomes scientia ¹⁾, quam omnem fere ex hominum, cum demortuorum, tum maxime viventium, si Celso ac Tertulliano fides habenda est ²⁾, dissectionibus hauserat. Singula, quae in anatome detegerat, collegit Cl. Sprengel in I. *Versuch einer Geschichte der Arzneykunde*, I. B. pg. 376. sqq. apud quem etiam ex Galeno legimus, primam vasorum notionem, quae in mesenterio adsunt, in glandulas desinentium, Herophilo adscribendam esse. Aliam tamen opinionem, quam protulerat Herophilus, silentio praeteriit vir alioquin in colligendo accuratissimus, spiritum nimirum, qui in arteriis continetur, non ex corde solum ortum ducere, sed undiquaque per cutem atrahi ³⁾; unde colligo, eum nonnullam, quamvis obscuram, de systemate absorbente corporis humani habuisse notionem. Doctrinam de pulsuum differentiis primus prodidit in libro περι ταξως, αταξιας, ομολο-

1) Gal. comm. II. de nat. hum. pg. 137. t. III.

2) Cels. praef. pg. 7. Tertull. de anima, c. 10.

3) Gal. an in arter. sangu. adsit? c. 8. pg. 163. t. III.

ὁμολογητός τε καὶ ἀνωμαλίας 1). Ex caularum, quae morbum inferant, recensione plane removet procatarticas, quare culpatur a Galeno 2). Reliqua, quae de praxi Herophili afferri possint, lubens omitto, cum animus sit, illius historiam, si tempus concesserit, singulari libello exponendi. Id tamen adhuc notandum esse existimo, quod in curandis morbis hinc inde a superioribus medicis recesserit, ideo a Galeno, modo empiricus, modo ad dimidium dogmaticus appellatus medicus 3).

Commentaria Herophili in Aphorismos Hippocratis prima sunt, quae innotuere 4), quorum exemplum manu exaratum servatur in Bibliotheca Ambrosiana, quae Mediolani est 5). Quae contra Prognosticum confecit commentaria, valde culpantur Galeno, cum in illis obscura atque sophistica argumentatione Hippocratem aggressus esset, uti consueverat 6). Quid, quod ipse Galenus peculiarem Herophili de ea re confutationem promiserat, quam
vero

1) Gal. de diff. puls. l. 2. c. 6. pg. 48. t. VIII.

2) Gal. de caus. procatart. c. 4. t. VII. pg. 256.

3) comm. VII. ad Aph. 70. pg. 333. t. IX. meth. med. l. 3.

4) comm. VII. ad Aph. l. c. nisi corrupta huius loci lectio suspicienda est; cf. infra ea, quae de Bacchio loquimur.

5) Montfauc. biblioth. bibl. t. I. pg. 498.

6) Gal. comm. I. in Prognost. pg. 389. t. VIII.

vero non perfecit ¹⁾. Ceterum explicationem vocum, quibus usus est Hippocrates, scripsisse discimus ex Galeno et Erotiano, qui eius explicationis quoque specimen dedit ²⁾.

Librorum inter Hippocrateos relatorum *περι τροφης*, et *περι διαιτης* auctor nonnullis creditus est ³⁾.

SECTIO II.

SCHOLA EMPIRICA.

MEDICI EX HAC ET DOGMATICORVM SECTA HIPPOCRATEM INTER- PRETATI.

Scholam condidit Herophilus, plurimis auditoribus gaudentem, quos *απο της οικειας του Ηροφιλου* nominat Galenus. Ex hac schola prodiit Philinus Cous, qui, a praeceptore Herophilo occasione accepta, nova medicinae tractandae methodo usus est, eo-
que

1) *Gal. l. c.*

2) *Gal. explan. voc. Hipp. pg. 80. t. II. Erot. verbo αλυσμων, ed. Franz. pg. 30.*

3) cf. *Ant. Musa Brasavol. comm. in Aphor. Hipp. I. 13. pg. 71. III. 17. pg. 446.* qui ex Galeno ea adfert: locos ipsos in Galeno, et si summam curam adhibui, frustra quaesivi. *Fabric. Bibl. gr. ed. Harles, t. II. pg. 584.*

que ipso novae inter medicos sectae auctor exstitit. Qui hanc sectam sequebantur, id potissimum fecerunt, ut inanem illam causarum abditarum in morbis explorationem negligerent, elementorum corporis humani et humorum diversorum doctrinam respuerent, verbo, anatomes et physiologices usum ad praxin medicam negarent. Contra ea summum cognitionis principium ab experientia repetierunt, eamque sibi, tum ex fida et diligenti contemplatione omnium, quae in aegris mutata esse sensibus patent, tum ex reminiscentia eorum, quae in eodem symptomatum concursu aut profecere, aut nociva fuerunt, cum denique ex comparatione morbi similis cum simili (*μεταβασιν απο του ομοιου* appellabant) collegerunt. Hanc tripodem omnis experientiae stantentes, se ipsos a principio, quod in arte medica posuerunt, empiricos nominaverunt, illis contrarii et doctrina et ipso nomine, qui, amissa nunc Hippocraticorum denominatione, dogmaticos se dicebant. Cum his sectis partium studium in dies increvit; dogmaticos empirici, empiricos dogmatici impugnare non dubitarunt. Veritatem utraque pars a suis partibus esse, neque Hippocratem quid aliud, nisi quod cum sectae suae placitis conveniret, docuisse, tenaciter affirmavit. Hinc ab utraque secta Hippocratis libri lecti, commentariis illustrati, confutati sunt, prouti sectae ratio, quam amplectebantur medici,

dici, ferebat. Idque effecit, ut haec periodus interpretum Hippocratis feracissima esset. Hos omnes, quotquot cogniti sunt, huc referam, servato temporis, quo vixerunt, et scholae, quam sequuti sunt, discrimine.

I. DOGMATICI, POST EMPIRICORVM SECTAM EXORTAM.

Hi omnes fere ad scholam Herophili referendi sunt, donec ea plane desit, affectis eius ad empiricorum sectam, ut videtur, transeuntibus. Primus ex iis fuit

MANTIAS.

Μαντίας, discipulus Herophili, nec eius scholam derelinquens ¹⁾. In re medicamentaria maxime probatus est Galeno, qui etiam plurima eius scripta enumerat ²⁾. Primus compositiones medicaminum collegit ³⁾. Ipse in re medica instituit Heraclidem Tarentinum, qui postea ad empiricos transfugit ⁴⁾.

Commentatum esse Mantiam in Hippocratis librum κατ' ἰητρειῶν, memorat Galenus ⁵⁾.

BAC-

1) *Gal. de comp. med. sec. loc. l. 6. c. 9. t. XIII. pg. 518.*

2) *de simpl. medic. facult. l. 6. proem. pg. 144. t. XIII.*

3) *Gal. de compos. med. sec. gen. l. 2. c. 1. pg. 672. t. XIII.*

4) *de compos. med. sec. loc. l. 6. c. 9. pg. 518. t. XIII.*

5) *comm. I. in l. de off. med. text. 1. pg. 1. text. 5. pg. 14. t. XII.*

BACCHIVS.

Tanagra ortus. Herophili auditorem fuisse, inde probari potest, quod coaeuus fuit Philino, qui contra eum VI. libris scripsit 1). Memorabilia Herophili eiusque haereseos literis consignavit. A nonnullis empiricorum gregi adnumeratur iniuria; lectionem enim vulgatam illius textus in Commentario Galeni ad VIII. Aphorismorum sectionem, p. 533. t. IX. qua sententiam istam evincere student, mendosam esse, sicque legi debere „ὁ Ἡροφίλειος Βακχίσιος, iam probavit Schulze, si adire velis eius Hist. Med. pg. 382. Quid? quod, dogmaticum fuisse Bacchium, optime docemur, Caelii Aureliani textum 2), quo Bacchii meminit, omni partium studio abiecto, perlegentes. Commentatus est in plures eosque obscuriores libros Hippocratis 3): Commentariorum eius in VI. librum Epidemiorum, in Aphorismos, mentio fit a Galeno 4). Tertium Epidemiorum librum in publicum prodire curavit cum emendationibus 5). Auctor quoque fuit τῶν συντάξεων τριῶν λεξείων τῶν Ἱπποκράτους, e quibus plurima decerpfit Erotianus 6).

HERA-

1) *Erot.* pg. 8.2) *chronic.* l. 2. c. 10. pg. 390.3) *Gal. comm. I.* in l. de off. med. pg. 2. t. XII.4) *comm. I.* in VI. Epid. pg. 354. t. IX.5) *Gal. comm. II.* in III. Epid. pg. 244. t. IX.

6) pg. 8. et saepiss. Consulas Franzii Indicem auctorum in Erotiano occurrentium.

B

HERACLIDES ERYTHRAEVS.

Chryfermi auditor, Herophileus 1). Apollonii Muris condiscipulum fuisse, ex Strabone apparet 2). Commentariis illustravit Epidemiorum librum VI. spurium, in eo a Galeno castigatus, quod minorem curam in probandis emendationibus adhibuit, quas ex ingenio textui inferuerat 3). Ad eruendum characterum sensum, quos passim III. libro Epidemiorum immixtos conspiciamus, symbolam dedit 4).

ZENO HEROPHILEVS.

Hunc post Heraclidem Erythraeum vixisse abunde patet ex Erotiani loco, quo docetur eum serius floruisse, quam Zeuxidem, Heraclidi Erythraeo coaevum 5). Galenus eum maximopere laudat 6). Litterarum characteres, III. libro Epidemiorum adscriptos subinde, explicavit, qua ex re magna illi fuit contentio cum Apollonio Empirico, qui contra eum scripsit, quem sequutus est, Zenone respondente, Apollonius ὁ Βιβλαε dictus, qui vehementer in Zenonem, iam demortuum, inuectus est 7). Et Galeni

1) *Gal. de diff. puls. l. 4. c. 9. pg. 95. t. VIII.*

2) *l. XIV.*

3) *comm. I. in VI. Epid. t. IX. pg. 354.*

4) *Gal. comm. II. in III. Epid. pg. 240. t. IX.*

5) *pg. 216.*

6) *de diff. puls. l. 4. c. 8. pg. 93. t. VIII.*

7) *Gal. comm. II. in III. Epid. pg. 238. et 243. t. IX.*

ni vituperationem inde sibi contraxit. Eorum quoque numerum adauxit, qui verborum obscurorum Hippocratis expositionem dederunt ¹⁾. Καμμαρον Hippocrati cicutam significare credidit.

DIOSCORIDES PHACAS.

Magnam reperimus virorum, qui Dioscoridis nomen gesserunt, confusionem, cui tamen optima medela adhibita est in Fabricii Bibliotheca Graeca, ad cuius quartum tomum, edit. Harles. pg. 676. lectorem benevolum delegare lubet.

Noster, ab ore lentibus dehonestato Phacas cognominatus ²⁾, ex Herophilea schola fuit ³⁾, et Antonii Cleopatraeque temporibus vixit ⁴⁾. Idem est, quem alibi Galenus Alexandrinum appellat, probe distinguendus ab eo, quem nomine Iunioris insignit ⁵⁾. Caeterum de eo nil compertum habemus, nisi quod septem libris voces Hippocrateas explicaverit, et quidem eo studio, ut se superiores

B 2

medi-

1) *Erot.* pg. 86. 216. *Gal. expos. voc. ed. Franz.* pg. 490.

2) *Suidas ad voc. Διοσκοριδης.*

3) *Gal. prooem. ad gloss. Hipp.*

4) *Suidas, l. c.*

5) *Gal. expos. voc. Hipp. pg. 79. t. II. (edit. Franz. pg. 402. 484. 486.)*

medicos, qui idem argumentum pertractaverunt, confutaret ¹⁾).

Hique omnes sunt, qui ex Herophili schola prodeuntes dogmatici, in Hippocratis libros enarrationes scripserunt; caeteros dogmaticos, qui posteriori aevo vixerunt, referam, postquam Asclepiadem, sectamque Methodicam, eo auctore natam, memoravero. Iam vero ad Herophileos Empiricos transibo.

II. HEROPHILEI EMPIRICI HIPPOCRATEM INTERPRETATI.

PHILINVS.

Herophili discipulum hunc fuisse, supra iam diximus. Qui, data a praecceptore occasione, empiricam sectam a rationali separavit ²⁾, Cous a patria cognominatus. Medicamentorum, ab eo in usum vocatorum, passim mentionem facit Galenus ³⁾. Sex libris, quibus Hippocratis voces exposuit, Bacchio coaevo adversatus est ⁴⁾. Bis citatur Erotiano ⁵⁾.

GLAV-

1) *Erot.* pg. 8.

2) *Gal. introduct.* c. 4. t. II. pg. 363.

3) *de compos. med. sec. loc.* l. 7. c. 6. t. XIII. pg. 558.

4) *Erot.* pg. 8.

5) pg. 32. 68.

GLAVCIAS.

Ante Zeuxidem et Heraclidem Erythraeum eum vixisse ex Galeno apparet ¹⁾. Neque, ut Fabricius autumat, quem etiam Franzius ²⁾ sequitur, Heraclidis Tarentini et Apollonii praeceptor fuit. Plurima Hippocratis scripta illustravit, probante Galeno, qui eius interpretationes l. VI. Epidemiorum et l. de humoribus citat. Vltimum librum Hippocrati Coo falso tribui, et ad alium Hippocratem iuniorem pertinere credit ³⁾. Neque emendationibus suis textus librorum Hippocratis, neque sensus recta explicatione laudes meruit ⁴⁾. Eo fine in Hippocratem commentatum esse refert Galenus, ut ex illius libris empiricae scholae doctrinas defenderet ⁵⁾. Glossarium Hippocratis, quod magno volumine ad literarum ordinem composuit, subinde citatur Erotiano ⁶⁾. Addidit fin-

B 3

gulis

1) *Galen. comm. I. in VI. Epid. pg. 354. t. IX.*

2) *Fabric. bibl. graec. t. XIII. pg. 171. Franz. index auctlor. in edit. Erotiani. Locus Galeni, meth. med. l. II. pg. 57. t. V. Ed. Basf. gr. quo nititur Fabricius ad probandam suam sententiam, nil aliud, quam Glauciam, Apollonium et Heraclidem Tarentinum fuisse empiricos, declarat.*

3) *Gal. comm. I. in l. de humor. t. VIII. pg. 508.*

4) *Gal. comm. I. in VI. Epid. pg. 354. t. IX. comm. I. in l. de humor. t. VIII. pg. 535. et 536.*

5) *comm. III. in VI. Epid. pg. 464. t. IX.*

6) *pg. 8.*

gulis vocibus, quas illustravit, loca, quibus in Hippocrate leguntur 1).

APOLLONII PLVRES.

Arduus est, quem nunc suscipimus labor, Apolloniorum historiam, quotque ex illis, qui medici fuerunt, Hippocrati illustrando operam navaverint, inquirentes. Ipsis enim veteribus auctoribus invicem dissentientibus, insuperabiles fere difficultates in hac quaestione eruenda nobis obiiciuntur. Apud Erotianum multos legimus Apollonios, quos vel expressis verbis explanatores Hippocratis vocat, vel quorum nomina solum recenset. Sunt vero hi:

Apollonius Cittieus, XVIII libros contra Heraclidem Tarentinum conscripsit, eo quidem consilio, ut Hippocratis verba dilucidaret 2).

Apollonius, Ophei filius, Bacchii librum explanatorium in epitomen redegit 3).

Apollonius Senior, explicavit vocem $\alpha\mu\beta\eta\nu$ 4).

Apollonius Memphites scripsit librum de articulis 5).

Apollonius δ $\Theta\eta\epsilon$ ad vocem $\alpha\mu\beta\eta\nu$ 6) commentatus est.

1) *Erot.* pg. 16.

2) *Erot.* pg. 10. *Jaep.*

3) *id.* pg. 8.

4) *id.* pg. 86.

5) *ibid.*

6) *ibid.*

est. — Galeno leguntur, qui Hippocrati illustrando operam dederunt:

Apollonius Empiricus ¹⁾ et

Apollonius Biblas ¹⁾.

Ceteros Apollonios medicos, a Galeno aliisque memoratos, lubens omitto, ne ipsa eorum multitudine opprimamur.

Vt vero clarius pateat, quid de his Apolloniis, quos memoravimus, statuendum sit, e Galeni dictis intelligimus, Apollonium Empiricum contra Zenonem libro peculiari scripsisse, et eo respondente ac dehinc mortuo, manes illius aggressum esse Apollonium, ὁ Βιβλας cognominatum. Porro in spurio Galeni libro, qui introductio vocatur, duos invenimus Apollonios Antiochenos, patrem et filium. Adde quod ex Apollonio, quem seniore vocat, Zenonis sententiam de significatione vocis ἀμβην emendaverit Erotianus. Hinc mihi persuadeor, quinque hos Apollonios, Empiricum, Biblam, seniore, et duos Antiochenos male esse confusos, et hunc in modum colligendos.

I.) Apollonius, Antiochenus, pater, Galeno etiam Empiricus, Erotiano senior dictus, is fuit, qui primum contra Zenonem scripsit.

II.) Apollonius, Antiochenus, Biblas cognominatus,

B 4

minatus,

¹⁾ *comm. II. in III. Epid. pg. 239, 240. t. IX.*

minatus, parentem contra Zenonis inveſtiones defendit.

Hoc utroque autem antiquiorem eſſe Apollonium Cittieum, inde colligimus, quod in Heraclidem Tarentinum confeciſſe eum ſciamus libros XVIII. ad Bacchium. Heraclides vero atque Bacchius priores fuerunt Zenone Herophileo, Apolloniorum Antiochenorum adverſario.

Denique Apollonium Opei eundem cum Apollonio Fera eſſe iam autumavit Fabricius ¹⁾, in cuius ſententiam totus abeo.

Anne vero Apollonius uterque, Cittieus et Memphites, qui alter Stratonis diſcipulus, et Eraſiſtrateus fuit, in libris, quos ſcripſerunt de articulis, Hippocratem de eadem re libellum conſcribentem interpretati ſunt? —

An et eodem Celfus denotat ²⁾, cum duorum Apolloniorum chirurgorum meminit? — Crediderim ſane — ſed fatiſ de hiſ, progrediamur ad

HERACLIDEM TARENTINVM

Nobiliffimum empiricorum, qui unquam exſtiterunt. Hiſ, qui eum ante Galenum vixiſſe putant, Celfi verba ³⁾: „quem (Serapionem) *Apollonius et Glau-
cias,*

1) *Bibl. graec. t. XIII. pag. 75.*

2) *l. 7. praef. pag. 406.*

3) *praef. p. 3.*

*cias, et aliquanto post Heraclides Tarentinus, et alii quoque non mediocres viri sequuti*⁶ obstant. Primum Mantiae, Herophilei, institutione usus est, deinde ad empiricos deflexit ¹⁾, vir caeteroquin bonus, a Galeno saepissime laudatus, ideo forsan, quod nonnunquam dogmaticorum fere more se gessit in medicina ²⁾. Praecipue vero cum Mantia medicamentorum vires experimentis tentavit ³⁾. Plurima scripsit, quae interciderunt. Omnes libros Hippocratis commentariis illustravit ⁴⁾, ex quibus illos, quos in Aphorismos ⁵⁾ in II. III. et VI. Epidemiorum ⁶⁾, in I. de humoribus ⁷⁾, et in illum de officina medici ⁸⁾ confecit, Galenus non sine laude commemorat. Ad erudendum, quid sibi vel intliterarum characteres, tertio Epidemiorum libro a Mnemone adscriptae, operam contulit ⁹⁾. Expositionem quoque vocum Hippocratis

B 5 in

- 1) *Gal. de compos. med. sec. loc. l. 6. c. 9. pag. 518. t. XIII.*
- 2) *Gal. de dieb. decret. l. I. c. 2. pag. 452. t. VIII.*
- 3) *Gal. de comp. med. sec. gen. l. 2. c. 1. pag. 670. t. XIII.*
- 4) *Gal. comm. I. de humor. pag. 508. t. VIII.*
- 5) *comm. VII. Aphor. 70. pag. 333. t. IX.*
- 6) *comm. II. in II. Epid. pag. 141. comm. I. in III. Epid. p. 240. comm. I. in VI. Epid. pag. 304. t. IX.*
- 7) *comm. I. de humor. pag. 508. t. VIII.*
- 8) *comm. I. de off. med. c. 1. pag. 2. t. XII.*
- 9) *Gal. comm. I. in III. Epid. pag. 240. t. IX.*

in tribus libris dedit, quam Apollonius Cittieus perfrinxit, XVIII. libris ad Bacchium conscriptis 1).

NICANDER.

Eum hoc loco memorare non dubito, etfi non Herophileus fuit, nec ab aliis inter commentatores refertur, cum, teste Suida 2), Prognosticorum Hippocratis poeticam paraphrasin elaboraverit. Floruit, Colophone natus, regnante Attalo, ultimo Pergamorum rege, qui ab A. V. C. 616. ad 621. imperium tenuit, et cui carmen de Theriacis dicatum esse voluit.

ZEVXIS.

In nummis, quos descripsit Mead 3), Xeuxis scribitur. Strabonis aevo scholae medicae praefuit, quae Laodiceae floruit 4). Empiricus, in omnia Hippocratis opera commentarios confecit 5), ideoque saepissime citatur a Galeno, cuius vero temporibus Zeuxidis commentarii non multum valebant 6).

Ex

1) *Erot. pag. 10. saep.*

2) sub verbo *Nicandeg.*

3) *diff. de nummis Smyrnaeis, in honorem medicorum percussis, tab. I.*

4) *Strabo, l. geogr. XIV.*

5) *Gal. comm. I. de humor. pag. 508. t. VIII.*

6) *Gal. comm. II, in III. Epid. pag. 229. t. IX.*

Ex his vero characterum Epid. libr. III. additorum historiam mutuavit Galenus 1). Interpretes antiquiores, quibus usus est in commentariis suis, tanquam male de Hippocrate promeritos vituperavit 2). Criticam textui quoque ipsi opem intulit, infelix emendator, quam ob rem in Galeni et Rufi Ephesii reprehensionem venit. Secundum librum Zeuxidis τῶν ἐξηγητικῶν allegat Erotianus ad verbum παμμαχρον, et eadem occasione Galenus in expositione vocum Hippocratis.

Ultimus hic est Herophileorum, tam Empiricorum, quam Dogmaticorum, quem in Hippocratis opera commentatum esse, notum est. Et horum quidem, qui haecenus memorati sunt, nonnulli ferriore aeo exstiterunt, quam Asclepiades, quem proxima sectione pertractabimus, attamen, ne ipsi Herophili scholae turba inferatur, hoc ipso loco omnes Herophileos congesimus, sequenti periodo eos allaturi dogmaticae et empiricae sectae affectas, qui recentiores sunt Asclepiade, nec ad Herophili scholam pertinent.

1) Gal. l. c.

2) Gal. comm. III. in III. Epid. pag. 300. comm. II. in VI. Epid. pag. 427. t. IX.

SE-

SECTIO III.
SECTA METHODICA.

Tali vero contentione, quam antea diximus, inter se dimicantibus dogmaticis et empiricis medicis, alia interim secta condita est, methodicae nomen gerens, quae ab utraque multum discrepavit. Eius primae origines ex Epicuri doctrina de ortu rerum rependendae sunt. Hunc enim omnino fere sequutus est Asclepiades Bithynus, a quo scholae methodicae conditor Themison institutus est, quod luce clarius demonstravit Cl. Gumpert in commentatione de Asclepiade Bithyno, quae Ienae prodiit 1794. Qui cum enim, Epicuro primo auctore, omnia ex atomis, eorumque prima coniunctione, (συνχριστες Epicurus, corpuscula Asclepiades vocat) et vacuo, sive meatibus, (ultima denominatione Asclepiades, priore Epicurus usus est) in quibus atomi moveretur, constare crederet, morborum originem ex turbato corpusculorum per meatus transitu deduxit, cuius causam vel corpusculis, vel meatibus, tribuit. Meatum vitium in nimia amplitudine aut raritate posuit. Istam vero causam a meatibus petitam, corpusculorum ratione neglecta, ad totius corporis conditionem applicavit Themison, ac duo tantum morborum genera esse statuit, strictum et laxum, quae communia, communitates, appel-

appellavit, hinc omnem medicam indicationem non nisi duplicem esse contendens, relaxandi, si strictum, stringendi, si laxum aegroti deprehenderetur corpus. Tertium genus serius addidit, quod mixtum nominavit, ad duo autem summa morborum genera ab aliis merito relatam; quod tunc adesse existimavit, cum pars corporis quaedam adstricta esset, aliam vero partem relaxatio teneret. Curationem ipsam in varios circulos (Cyclos vocabat) divisit, quos iterum in diatriita digessit; qua de re consulatur praeceptoris mei in cineres colendi, qui et me in elaborando hoc opusculo consilio librisque benevole adjuvit, Cl. *Ackermanni* Historia medicinae, ubi haec omnia luculentissime exposita invenies, a pag. 130. ad 164. Nec fuit, quod novum id medicinae systema hominibus displiceret, inchoatum a viro, ingenii acumine, eruditionis amplitudine, orationis ubertate, ac, quod summum est, blandiori artis exercitio omnibus commendatissimo, compositum deinde et extractum ab homine, cui ad summam senectutem vitam protraxisse, suamque doctrinam contra omnes adversarios feliciter defendisse, et ubique divulgasse per sectatores contigit; exornatum tandem a vanissimo artis suae gloriatore, qui luxuriae hominum serviebat, tantaque impudentia erat, ut, totam medicinam sex mensium spatio se traditurum esse cuilibet, profiteri haud erubesceret. Horum quo-

quoque virorum auctoritate factum est, ut medicinam Romani, spretam superiori aevo et expulsum ex Romana urbe cum Archagatho, denuo reciperent ac colerent, quin plures etiam scholas medicas Romae conderent.

Caeterum ex parte quidem dogmatica, ex parte empirica fuit haec medicina. Dogmaticorum causas abditas negligentes, indicationem ad morbos curandos ex iis quidem, quae in aegrum cadebant, repetierunt, empiricorum more; ab his iterum in eo discedentes, quod ex symptomatum manifestorum concursu indicationem summi morborum generis, in aegro obvii, conficerent, eique soli, non symptomatibus, ut empiricis solitum erat, medelam adhiberent.

In ista quoque schola medici floruerunt, qui in Hippocratem commentati sunt, quorum princeps est

ASCLEPIADES.

Ab urbe, quo natus est, Prusienfis, a provincia, Bithynus nominatus. Priore septimi ab urbe condita seculi parte Romam se contulit, ubi Rhetoris officio primum functus, postea in medicinam studium contulit, in eaque methodicae, ut iam expositum est, sectae fundamenta iecit. Sapientissimorum illius aevi virorum, Mithridatis, Crassi, aliorumque familiari usus est consuetudine. cf. Bianconi *Briefe ueber den Celsus, ueberf. von Krause, Leipz.*

1781.

1781. pag. 21 seqq. qui eum circa A. V. C. 663. fato defunctum esse, probavit. Quae de illo singula notari merentur, silentio praetereo, ne Iliadem post Homerum cantasse videar, cum Cel. Gumpert peculiari commentatione huius viri historiam in publicum prodire curavit.

In Hippocratis libris obscuriores tantum eum explicasse Galenus testatur 1), qui fragmentum ex commentario Asclepiadis in l. de officina medici, quod hic adiciere lubet, ab interitu conservavit. Pertinet autem id ad verba Hippocratis in illo libro occurrentia: ὦν δ'αν αποση, ταναντια. Quod effatum de fasciis intelligens, ita interpretatus est: „εν ᾧ σχηματι του μερους επιτιθεντος σχηματος επιδεσμος αποση, τω εναντιω τουτω σχηματι την επιδεσιν ποιου. ὄιον εκτεταμενου του ακιωνος, επειδαν ὁ βραχιων καταδεδη, ὁ επιδεσμος ου μνει, αλλ' αφιζαται, τουναντιον σχημα τη εκτασει κατασχευασας“ „επει δε, τουτεσι, καμψας τον ακιωνα, επιδει παλιν. επει κατα φυσιν μεν σχημα τοις σκελεσιν εσι το εκτεταμενον, εαν και κεικαμενον των σκελων επιδησας, εκτειναι κελυσης, μεταβαντων των μυων εις αλλους τοπους, ὁ επιδεσμος αποσησεται απ' ευσινων, αφ' ὧν μυες απεχωρησαν, το εναντιον σχημα του κατακαμμενου ποιησας, επειδη, τουτεσι, ὁ εκτεινας τα σκελη αποδειν, ὁπερ και κεισθαι μελλει σχηματι.“

THE-

1) comm. I. in l. de off. med. inil. pag. 2. t. XII.

2) Gal. comm. II. in l. de off. med. text. 29. pag. 68. t. XII.

THESSALVS TRALLIANVS.

A parentibus infimae fortis natus ¹⁾, Nero-
nis tempore vixit, ad quem epistolam conscripsit
nugarum, gloriationis vanae et contemptus medi-
corum, qui ante eum fuerant, plenissimam ²⁾.
Quin et Hippocratem ipsum in ea arrodit. Them-
isonem audivit, tamen ab eo nil in Hippocratica arte
accepisse, omnia se sibi debere, in eadem epistola
praedicat. Sectam Methodicam, cuius prima funda-
menta Aesclepiades et Themison iecerant, omnino
perfectit ³⁾, novamque ei μετασυγκρισεως addidit do-
ctrinam, quo verbo, a dogmaticis medicis mutuato,
ipsam rationis, quae inter meatus et atomos est,
permutationem intellexit, quae in eo casu perficien-
da esset, quo omnia vel fringendo vel relaxando
corpus morbi sanandi conamina male successissent ⁴⁾.
Remedia semper ea adhibuit, quae affectioni con-
traria essent ⁵⁾. Neque prorsus spernenda est, quam
de purgantium medicinarum actione et usu ample-
xus est, sententia, iis succos inquilinos primum cor-
rumpi, deinde vero evacuari, exemplo ad proba-
tionem

1) *Gal. meth. l. I. c. 3. pag. 8. 10. t. X.*

2) *Gal. meth. med. l. I. c. 2. pag. 3. t. eod.*

3) *Gal. de opt. sc̄ila, c. 26. pg. 323. t. II.*

4) *Gal. meth. med. l. 4. c. 4. pg. 91. t. X. de fac. simpl. med. l. 5. c. 25. pg. 140. t. XIII.*

5) *Gal. de comp. med. sec. gen. l. I. c. 4. pg. 649. t. XIII.*

tionem suae opinionis dato, quo, purgantibus medicinis homini ingestis, quamvis is sanissimus sit, materias maxime corruptas evacuari docemur 1). Hippocratem eo solum studio legit et interpretatus est, ut confutaret praecepta, quae tradiderit vir optimus 2). Contra aphorismos Hippocratis eum librum confecisse, ex Galeno patet 3). Quin in librum de diacta acutorum separatim scripserit, quod in Fabricii Bibl. graeca, t. II. ed. Harles. pg. 601. assertum est, dubitamus, quod eo loco, qui ad probandum id ex Galeno adducitur, nil aliud docemur, quam quod Thessalus Hippocratem, nimia ciborum copia data, aegrotis nocuisse, alicubi criminatus sit.

SORANVS.

Ephesius, Menandri filius, a Galeno ad Methodicorum gregem relatus 4). Ante Traianum vixit, et Attalum, de quo mox loquemur, discipulum in medicina habuit. Fragmentum eius de alopoecia servavit posteris Galenus 5), et alterum de fasciis Char.

1) *Gal. advers. Julian. c. 8. pg. 391. t. IX.*

2) *Gal. l. c. pg. 377.*

3) *ibid.*

4) *cf. Gal. Introd. Cap. 4. T. II. pag. 363.*

5) *de compos. sec. loc. l. I. c. 2. p. 331.*

Charterius tomo XIII. editionis suae Operum Hippocratis et Galeni excudendum curavit.

Num vero idem is sit habendus cum eo, quem Oribasius inter commentatores Aphorismorum refert, quos in tres sectiones diviserit ¹⁾, mihi quidem non liquet, cum neque Galenus, neque Erotianus, nec quisquam alius de illo interprete aliquid memoriae tradiderit.

ATTALIO.

Huius viri notitiam dedit Oribasius, ubi de interpretibus Aphorismorum loquitur. Neque fortassis diversus ab Attalo, quem Sorani discipulum et Galeni coevum, imperante Traiano, Romae non ignobilem fuisse medicum, ex ipso Galenus discimus ²⁾.

IVLIANVS ALEXANDRINVS.

Apollonii Cyprii auditor, Galeni temporibus Alexandriae medicinam professus est. Methodicorum auctoritatem scriptis adiuvit, quamvis saepius ab Aesclepiade, ceterisque Methodicis discederet. Octodecim libris in Aphorismos calumniose scripsit, quorum secundus in Galeni manus pervenit; is vero, initio libri lecto, quo Hippocratem, in Aphor. 2. l. I. falsa protulisse, inculpat, extemplo ad eius refu-

1) *Oribas. comm. in aphor. praef.*

2) *Gal. meth. med. l. 13. t. X.*

refutationem se adinxit, ut ipse confessus est principio libri, adversus Iulianum 1). Iam vero ex Galeno fragmenta libri Iulianei describimus :

„ εν τησι ταραχησι της κοιλιης, ὡς το παρα-
 „ λειπομενον του αφορισμου ἅπαν, ριζαν τε και πηγην
 „ εχουν, το, ὅτι πληθος ὑγρων νοσοποιοι τα σωματα,
 „ κατ' εννοιαν συνεκτικου αιτιου, ὁδεν αποδεδειγμενον το,
 „ ουκ εν ὑγροις ειναι αιτια των παθων, ψευδης γαρ ἡ
 „ δοξα, συναποδεδεικται και ἡ του αφορισμου μοχθηρια,
 „ ὅτι ἀδηλω σπερματι ἐποιται ψευδη.“ cf. Gal. adv.
 Iul. I. cap. 6. ad initium; et sub finem sequens legitur Iuliani fragmentum :

„ αυτικα εν τῷ αφορισμῷ λημμα συνηρασθαι ουκ
 „ αποδεδειγμενον, το, ὅτι ὑγρου πληθος νοσοποιοι, ἡ
 „ μεταβολη προς το ουκ οικειον της ιδιας ποιητητος,
 „ ονομα ιατρων παιδες εθεντο κατα του ὅλου ειδους,
 „ διαφθοραν, ὡς τε του νοσοποιου αποκρινομενου, ωφε-
 „ λειαν εσεσθαι, φανταζεται σφοδρα. τα μεν προσθεν
 „ την απο του αμαχου φαινομενεην κρισιν, ὑγρου τιнос
 „ εν τῷ σωματι πληθος, της νοσου το αιτιον ειναι
 „ νομιζουν, η ου πληθος μεν, τροπην δε. ἀδιανοητον
 „ γαρ και προς την αληθειαν ασυμφωνων τοδε τυγχανει.
 „ ὡμην γαρ τα παθη ευλυτα παντα, και αν ην τι χρο-
 „ νιον, ἡ τε θεραπεια πασα μονοειδης, ου δ' ἡντινον
 „ δυσχερειαν εργωδη εχουσα. ἄπλου γαρ ην, εκ παρα-
 C 2 κειμε-

1) i. IX. pg. 376.

„ κειμενου κενωσαι το νοσοποιουν, και αυτικα εν αρχη,
 „ και κατα την πρωτην υποστασιν λυειν το παθος ωσθ'
 „ ενος δεισθαι μονου κενωτικου βοηθηματος, και τουτο
 „ παρα παντα καιρον ενεσιωτα πεσοντα οριζειν, και αι-
 „ ματος μεν οντος, μονη αγεισθαι φλεβοτομια. φλεγμα-
 „ τος δε, φλεγμαγωγω, χολης δε, χολαγωγω.“

Confecto nunc methodicorum medicorum elen-
 cho, qui Hippocratem illustraverunt, ceteros medi-
 cos, dogmaticos non minus quam empiricos, per-
 tractabo, qui post Asclepiadem usque ad Galenum
 vixerunt, neque ad Herophileos referri merentur.

Ad DOGMATICOS pertinent, qui sequun-
 tur, et primo quidem loco

RUFVS EPHESIUS.

Quonam tempore is vixerit, inter eruditos
 non convenit, quum nonnulli, auctoritate Suidae
 nixi, Traiani, alii, Tzetzen sequuti, Cleopatrae
 temporibus eum adscribant. Attamen satius est,
 eum ad Traianum referre, quam opinionem etiam
 amplexus est et defendit Clinch in praefatione, editio-
 ni operum Rufi superstitum praemissa. Ex operibus
 eius, quae adhuc restant, dogmaticum fuisse medi-
 cum, elucet, dolendum vero est, plurimos scripto-
 ris tam probati libros interiisse, quorum catalogum
 repe-

reperies in Fabricii Bibl. graec. ed. Harlef. t. IV. pag. 716 *seqq.* Indici huic addimus librum Rufi *θηριακων*, quem citat Galenus 1). Eidem quoque summo-
pere laudatus est, cum Sabino *Ιπποκρατους συγγραμ-
μασιν ωμιλησιον ανδρα ου παρεξηως* ab eo nominatus.

Complura Hippocratis opera interpretationibus suis illustravit, eo quidem modo, ut lectiones pravas, a prioribus commentatoribus temere textui illatas, reïceret, vetustamque scripturam renovaret 2). In Aphorismos ab Oribasio 3), in Prorrheticum 4), Epidemiorum VI. 5) et libr. de humoribus 6) a Galeno memorantur Rufi commentaria.

SABINVS.

Medicus et interpres Hippocratis Galeno optime probatus 7), a quo etiam vir Hippocraticus semel dicitur 8). Plures in medicina instituit, quorum duos nominare lubet, Stratonicum Pergamenum, praecceptorem Galeni 9), et Metrodorum, quem mox referemus.

C 3

Com-

- 1) *Gal. de antidot. l. I. c. 2. t. XIII. pag. 867.*
- 2) *Gal. comm. II. in Prorrh. I. t. VIII. pg. 740.*
- 3) *praef.*
- 4) *Gal. comm. II. in Prorrh. I. t. VIII. pg. 740.*
- 5) *Gal. comm. II. in Epi. VI. pg. 427. 414. 431. t. IX.*
- 6) *Gal. comm. II. in l. de humor. passim.*
- 7) *Gal. de ord. libr. suor. p. 31. t. I.*
- 8) *de atra bile, c. 4. pg. 170. t. III.*
- 9) *l. c.*

Commentaria Sabini in Hippocratis III. et VI. Epid. 1), deinde in libr. de natura humana, quem Polybo tribuit 2), et in libr. de humoribus 3) saepius laudantur, ipsorumque fragmenta leguntur in Galeni libris. Libri spurii *περι ουτανιων* explicationem dedisse Sabinum, Gellius nos docet, fragmento sequente ex illo servato 4):

„εστι μεν φαινομενα, ως ζωα μετα την εκτροσιν.
 „ ουκ εστι δε, ως θνησκοντα μετα ταυτα. και εστι
 „ ουκ φαντασια μεν παραυτικα οντα, δυναμει δε ουκ
 „ εστι.“

Sabinum quoque *τα προερρητικα* Hippocratis interpretatum fuisse, unde colligerit Hallerus 5), nescio, cum fontem, ex quo id hauserit, non indicet, neque Galenus eius commentarii mentionem ullam iniiciat.

METRODORVS.

Discipulus Sabini 6), ut iam diximus, varios Hippocratis, et inprimis Epidemiorum libros illustravit 7). Distinguendus est ab illo Metrodoro, quocum

1) Gal. comm. III. in III. Epid. pg. 295. comm. I. in VI. Epid. pg. 373. comm. V. in VI. Epid. pg. 527. 532. t. IX.

2) Gal. comm. II. in l. de nat. hum. pg. 149. t. III.

3) Gal. comm. I. in l. de humor. pg. 536. t. VIII.

4) Noël. att. l. 3. c. 16. pg. 167. (edit. Bipont.)

5) bibl. pract. t. I. pg. 219.

6) Gal. comm. I. in III. Epid. pg. 203. t. IX.

7) l. c.

cum nostrum perperam confudit Fabricius in elencho medicorum, quem Asclepiadis sectatorem fuisse claris verbis Galenus 1) docuit. Noster enim, dogmatici medici auditor, dogmaticae quoque sectae principiis inhaesit 2).

Alios adhuc e Sabini schola prodiisse commentatores Hippocratis luce clarius conspicitur, ex plurimis locis, quos in Galeno legimus. Is enim facpissime, ubi de interpretibus Hippocratis sermo est, his verbis utitur: „*οἱ περὶ τοῦ Σαβίνου*, pro quibus vero in versione latina Charterius semper posuit Sabinus 3), quo factum est, ut a nonnullis, versionem Charterii tantum relicto textu, respicientibus, Sabino tribuantur, quae discipulorum Sabini sunt.

NUMESIANVS.

Aliis locis in Galeni operibus *Νουμησιανός*, aliis contra *Νουμησιανός* eius nomen exscriptum legimus. Galeni temporibus Corinthi vitam degit, Quinti, haud incelebris empirici, discipulus. Eius audiendi gratia Galenus, audito antea Pelope, qui ipse a Numesiano artem didicerat, Corinthum adiit, ceterasque terras, in quibus Numesianus versatus est 4).

C 4

Et

- 1) *de simpl. med. facult. l. 1. c. 34. pg. 22. t. XIII. et cap. 29.*
- 2) *Gal. comm. I. in III. Epid. pg. 203. t. IX.*
- 3) *comm. I. in III. Epid. pg. 222. 203. 207. et saepius. t. IX.*
- 4) *Gal. de anat. adm. l. 1. c. 1. p. 26. t. IX.*

Et boni anatomici et probi Hippocratis explanatoris laudem sibi conciliavit a Galeno, quamvis eo tempore, quo librum de ordine suorum librorum iste confecerat, pauca superessent de illius commentariis 1). Scripsit in Aphorismos 2), qua in re eum Galenus sapientem hominem et prudentem ac non delirum vocat 3), neque iniuria, cum non solum textus rationem criticam habuerit, sed res ipsas, prout medicum expertum decet, explanaverit.

PELOPS.

Numesiani auditor 4) et praeceptor Galeni post Satyrum 5), Smyrnae habitavit, quo sese contulit, ut ab eo erudiretur, Galenus, variosque illo duce libellos scripsit, quos refert in opusculo de libris propriis 6). Tunc temporis, quo Galenus aphorismos commentariis illustrare aggressus est, fato iam defunctus erat 7). Memorantur a Galeno Pelopis συγγραμματα των Ἱπποκρατειων εισαγωγων; quid vero in iis tractaverit, non liquet, nisi quod in II. et III. anatomica prolata fuerint 8). Commentariorum
in

1) *Gal. de ord. libr. sacr.* pg. 51. t. I.

2) *Gal. comm. IV. Aph.* 69. pg. 179. *V. Aph.* 44. pg. 221. t. IX.

3) *comm. I. de humor.* pg. 535. t. VIII.

4) *Gal. comm. I. de nat. hum.* pg. 137. t. III.

5) *comm. I. in prorrh. text.* 5. pg. 702. t. VIII.

6) c. 3. pg. 38. t. I.

7) *Gal. comm. VI. Aph.* 18.

8) *Gal. de Hipp. et Pl. plar.* l. 6. c. 5. pg. 191. t. V.

in Aphorismos 1) et in librum de articulis 2) auctor fuit.

Superfunt adhuc, Herophileorum primum, deinde methodicorum et dogmaticorum omnium, huc pertinentium, elencho confecto, ii, qui inter empiricos usque ad Galenum exstiterunt Hippocratis interpretes. Quorum mentionem nunc faciamus, primum de

MARINO

diligentissimo sui temporis anatomico, locuturi, quo ad conficiendos de hac scientia libros haud parum Galenus usus est, quin etiam των ανατομικων Marini βιβλια εικοσι in epitomen IV. librorum redegit, in cuius locum postea anatomicae, quas in publicum emisit, administrationes venerunt. Singula capitum in Epitome argumenta nobis tradit in libr. de libris propriis, cap. 3. 3)

Aphorismorum et I. de natura hominis explicationem dedit, praecipuam in emendando textu operam collocans 4).

C 5

Mari-

1) Oribas. comm. in Aphor. praef.

2) Gal. comm. III. de artic. text. 39. pg. 384. t. XII.

3) pg. 40—42. t. I.

4) Gal. comm. VII. Aph. 13. pg. 298. Aph. 24. pg. 303. Aph. 54. pg. 322. t. IX.

Marino statim subiungimus eius discipulum

QVINTVM¹⁾.

Empiricae sectae propugnatores acerrimos, quod ex variis Galeni locis colligitur. Discipulos habuit, praeter Numesianum, Satyrum, Lycum, et Ephicianum, quos statim referemus. Eius in Hippocratem enarrationes parvi facit Galenus. Illustravit Aphorismos et Epidemiorum libros²⁾.

EPHICIANVS.

Phicianus, Iphicianus, Ephicienus quoque dictus in Galeni operibus. In re medica Quinti auditorem et magistrum Galeni, in philosophia vero Stoicorum discipulum, Hippocratis libros quoque ad Stoicorum sensum interpretatum fuisse, a Galeno comperimus³⁾.

Librorum de humoribus et de officina medici explicationem dedit⁴⁾.

SATYRVS.

Et is discipulus fuit Quinti, qui postea Galenum erudit. Pergami vixit eo tempore, quo Costunius Rufus Aesculapii templum in ea urbe extruxit, Quin-

1) *Gal. comm. II. de nat. hum. pag. 139. t. III.*

2) *Gal. comm. I. in I. Epid. pg. 3. t. IX.*

3) *Gal. de ord. leg. libr. pg. 51. t. I. comm. I. de off. med. text. 3. pag. 10. t. XII.*

4) *Gal. l. c. et comm. IV. in l. de humorib. p. 581. t. VIII.*

Quinto paullo antea defuncto 1). Commentaria anatomica scripsit 2).

An in Epidemia ipse commentatus sit, aut tantum praeceptoris enarrationes protulerit, definire non audeo 3) — mallet tamen ultimum pro vero accipere. Prorrhetica autem ipse illustravit interpretationibus. Fragmentum superest apud Galenum, quod ad I. I. Prorrh. text. 5. „ενυπνια τε εν φρε-
„νεμοισιν εναεργη“ pertinet, sequentibus verbis expressum :

„των εν τοις φρενιτικοις εναεργως ορωμενων τε και
„πραττομενων προς αυτων, οσα οραθαι τε και
„πραττεσθαι δοκει ημιν, ουκ εστι κατ' αληθειαν
„υπαρ, αλλ' ενυπνια παντα εναεργη.“

LYCVS.

Macedonia natus, unde illi cognomen Macedo. A Quinto institutus empiricam medicinam amplexus est, dum inter vivos fuit, parum apud Graecos celebris, post mortem demum clarus, cum libri, quos in anatomen scripserat, magis legerentur 4). Galenus vero, quamquam ipsum *ανδρα ανατομικοτατον* vocat 5), plurimis tamen erroribus scaterere Lyci libros abun-

1) Gal. anat. adm. l. I. c. 3. pg. 28.

2) Gal. comm. II. de nat. H. pg. 137. t. III.

3) Comm. I. in III. Epid. pg. 228. t. IX.

4) Gal. de anat. adm. l. 4. c. 10. pg. 107. t. IV.

5) de libr. propr. c. 2. pg. 40. t. I.

abunde demonstravit ¹⁾). Scripsit commentaria de musculis ²⁾), et, quod rei caput est, detectiones anatomicas ad sua tempora, in quorum alterum librum supplementa collegit Galenus in *l. των αγνοουθεντων τω Λυκω κατα τας ανατομας* ³⁾).

In commentariis in Hippocratem vero Lycum, tum auctorem male intellexisse, tum iniqua mente falsa illi attribuisse, Galenus saepissime questus est. Epidemia exposuit, sed, ut ipse fatetur, Quinti tantum interpretationes in medium protulit ⁴⁾). Commentaria in Aphorismos confecit, magis eo fine, ut Hippocratem confutaret, quam ut eum illustraret ⁵⁾). Hinc peculiarem librum Galenus adversus eum emisit, indignatione summa et contumeliis refertum, quo Hippocratis effatum *I. Aphor. 14.* „τα αυξανοντα μενα πλειστον εχει το εμφυτον θεριμον“ contra Lycum, talia negantem, defendit. Tota fere Lyci oratio in hunc Aphorismum exstat apud Galenum, quae, quod prolixa nimis est, prohibemur, quin, uti consuevimus hucusque, nostrae opellae eam inferamus.

Ero-

1) *de anat. adm. l. I. c. 3. p. 29. t. IV.*

2) *l. c.*

3) *Gal. de libr. propr. c. 2. pg. 39. 40. t. I.*

4) *Gal. comm. I. in III. Epid. pg. 201. 203. III. in III. Epid. pag. 287. t. IX.*

5) *Gal. comm. ad I. Aph. pg. 28. 92. t. IX. Gal. advers. Lycum. t. IX.*

Erotianus et Plinius alium *Lycum* memorant, *Neapolitanum*, quem Hippocratis voces exposuisse ex Erotiano suspicari licet. Num vero idem sit cum nostro, ambigitur.

Restant nonnulli medici, quos Hippocrati operam impendisse novimus; qui cum vero superioribus minus apte iungi possent, secta, cui additi erant, latente, ad finem huius sectionis eos colligere iuvat. Sunt vero hi:

MNEMON SIDITES.

Sidites a patria, a provincia vero Pamphylia vocatus. Is est, cui characteres III. libr. Epidemiorum adscriptos debemus, cuius libri exemplum aut ipse ex Pamphylia Alexandriam asportavit, ut lucrum inde acciperat a Ptolomaeo, quem Evergetem appellarunt, aut ex bibliotheca Alexandriae condita legendum desumfit, ac domi illa signa temere adlevit. Galenus enim, dum haec omnia ex Zeuxidis commentariis refert, adiicit, Epidemiorum libri III. exemplo Alexandrino adscripta fuisse verba: „το εκ πλοιων κατα διορθωτην Μνημονα Σιδιτην.“ Ex Cleophrantii schola medicus fuit ¹⁾.

DO-

1) *Gal. comm. II. in III. Epid. pag. 238. 239. III. in III. Epid. pag. 288. t. IX.*

 DOMNVS.

Ab Oribasio is refertur in Aphorismos commentator, ceterum omnes de eo silent.

DIONYSIVS.

Apud Galenum semel citatus ob lectionis varietatem, quam textui intulit ¹⁾. — In tanta vero medicorum aliorumque, qui Dionysiorum nomen gerunt, multitudine dici nequit, quem intellexerit Galenus.

LYSIMACHVS COVS.

Voces Hippocratis explanavit, tres libris ad Cydam Herophileum, totidemque ad Demetrium confectis ²⁾. Medicum fuisse inde colligo, quod Erotianus post medicos nonnullos, inter quos Lysimachus obuius reperitur, scribere pergit: „των δε γραμματικων ουκ εστιν, οστις,“ κ. τ. λ.

SECTIO IV.

 GRAMMATICI.

Neque vero solum apud medicos Hippocrates auctoritate et fama praecelluit; Grammaticorum quoque, ut

1) *comm. IV. Aph. pag. 179. t. IX.*

2) *Erot. pag. 10.*

ut Erotiani verbis utar, nemo ita eximius visus est, qui hunc virum praeteriret. Quos omnes, cum ante Galenum vixerunt, libelli ordo nunc requirit, ut hac sectione pertractem; quoniam vero paucissimorum aetas, quo floruerunt, constat, satius fecisse duco, si ad literarum ordinem eorum nomina protulerim. Generatim autem, eos voces tantum Hippocrati proprias collegisse et explicasse, minus vero Hippocratem ipsum illustrasse, monendum est. En eorum elenchum! —

ANTIGONVS Alexandrinus, Grammaticus 1).

ARISTARCHVS Samothrax, illustris ille Grammaticus, qui Alexandriae scholam, celebritate minime carentem, condidit 2).

ARISTOCLES Rhodius, Augusti tempore clarus, a Varrone l. IX. de ling. lat. citatus. Prior fuit Antigono 3).

ARISTOPEAS, in aliis Erotiani codicibus *Aristeas*, *Aristobulus* scriptus, Rhodius 4).

ARTEMIDORVS CAPITO, Dioscoridi Alexandrino iuniori, de quo paullo inferius sermo erit, coaevus, Hippocratis operum novam paravit editionem, quae ab Hadriano Imperatore multum

1) cf. Erot. pag. 12. et 312. Scholiastes ad Nicandrum.

2) Erot. pag. 12. Fabric. Bibl. graec. t. VII. pag. 52.

3) Erot. pag. 12. Fabric. l. c.

4) Erot. l. c.

tum aestimata est ¹⁾; at nulla laude dignum editorem fuisse, quin interpolatorem textus audacissimum, plurimis locis queritur Galenus, et exemplis probat ²⁾. In Erotiano ad vocem *λασιον* Artemidorus grammaticus legitur ³⁾, quem eundem cum Tharfense, a Strabone allegato, putat Franzius ⁴⁾, cum nostro vero coniungit Fabricius ⁵⁾, quod in medio relinquimus.

DIDYMVS Alexandrinus. Dubium est, num Erotianus ⁶⁾ antiquiorem, Aristarchi discipulum, 4000. librorum auctorem, an iuniorem intellexerit, quem Romae vixisse Suidas ⁷⁾ perhibet.

DIOSCORIDES Alexandrinus iunior ⁸⁾, temporibus Traiani Hadrianique floruit, et cum Artemidoro Capitone novam Hippocratis recensioem paravit, locos suspectos obelis distinxit, textum vero, ubi perspicuitate carere videretur, ex ingenio muta-

1) *Gal. comm. I. de nat. hom. pag. 99. t. III.*

2) *comm. II. in I. Epid. pag. 60. II. in II. Epid. pag. 256. III. in VI. Epid. pag. 443. IV. in VI. Epid. pag. 488. comm. VI. Aphor. 38. pag. 233. t. IX. comm. I. de humor. pag. 536. 581. t. VIII.*

3) *pag. 244.*

4) *cf. indic. auctior. Erotiani.*

5) *bibl. graec. t. IV. pag. 405.*

6) *pag. 13.*

7) *f. v. Διδυμος.*

8) *Gal. exposf. voc. f. v. ἰδίων, pag. 484. 486. ed. Franz.*

mutavit infelix emendator, quamobrem Galeni castigationes saepissime passus est 1). Idem forte glossarium conscripsit, cuius Galenus et Erotianus passim meminerunt, in quo vero, quamvis plurimis voluminibus constaret, ne tertiam quidem partem vocabulorum interpretatum esse, et quae protulerit ex Nigri, Pamphyli, Dioscoridis, operibus eum composuisse Galenus monuit 2). Grammaticum, neque medicum, fuisse, cum Salmasio credimus, praesertim cum sectatores eius, Grammatices aliis se multo peritiores esse ipsi iactaverint 3).

EPICLES literarum ordine Hippocratis voces, quas interpretatus est in glossario, composuit, sed nimiae brevitatis studiosus, loca Hippocratis, ex quibus desumpsit voces, indicare omisit.

EPICELEVSTVS. *Parepiceleustum* eum legit Franzius. Ad mentem vero Fabricii Erotiani lectio ita restituenda est: παρ' Επικλητου του Κρητου, eundem esse cum superiore, censentis 4).

EROTIANVS, nonnullis *Herodianus*, *Erotion*, et s. p. denominatur, Neronis tempore vixit, Grammaticen

1) *comm. I. de nat. hom. pag. 77. t. III.* et plurimis locis, quos allegare superfedemus.

2) *expof. voc. pag. 402.*

3) *Gal. comm. II. in VI. Epid. pag. 407. t. IX.*

4) *bibl. graec. t. IV. P. II. pag. 576.*

maticen edoctus. Ad Andromachum Archiatrum των παρ' Ιπποκράτει λέξεων συναγωγήν conscripsit, quae ad nostra usque tempora inter hominum manus versatur. Medicinam eum non calluisse, librum mox dictum attentius perlegendibus patet. Neque tamen parum utilitatis atque commodi secum affert libellus iste iis, qui criticam opem Hippocrati admovere student. Primum enim plures in eo Hippocratis expositores memorantur, quos alioquin ignoraremus, deinde vero, prima librorum Hippocraticorum censura adhibita, certiores nos fecit, quanam Hippocratis opera genuina, quae spuria Erotiani temporibus habita sint. Certas classes, ad quas redegit Hippocratis libros, statuit, σημειωτικά, αιτιολογικά και φυσικά, διαιτητικά, χειρουργούμενα, et μίγματα, ad quem etiam ordinem vocum explanationes composuit. A Galeno quoque Erotianum memoratum legimus in explanat. voc. καμμαρον; sed ex ipso eo loco apparet, Galenum aut alius Erotiani librum coram habuisse, aut, quod magis probabile est, plures olim operis Erotianei recensiones existisse.

EUPHORION VI. libros explanatorios in voces Hippocratis conscripsit ¹⁾).

PAMPHYLVS, Alexandriae ortus, Aristarchi Grammatici affecla, librum quidem medicum de herbis

in

1) Erot. pag. 12.

in medium protulit, ad literarum seriem compositum, in quo vero, probante Galeno, omni herbarum cognitione destitutus, Grammaticorum more, quaevis superstitiosa collegit. Hippocratem peculiari libro explicavisse ex Galeni loco, unde sententiam istam nonnulli repetierunt, minime apparet; cum Galenus nil aliud affirmet, nisi quod Dioscorides iunior omnia ex Nigri, Pamphyli aliorumque libris transcribere haud erubuerit. Forte Pamphyli librum *περι ονοματων* Galenus respexit, quem memorat Athenaeus.

XENOCRITVS Cous, omnium primus fuit, qui Glossaria in Hippocratem fecerunt, Heraclidi Tarentino notus, ut Erotianus nos docet.

Agmen claudat Glossatorum το Λεξιμον των Ηεροδοτσιων Λεξεων, quod non, ut alii perperam crediderunt, pro Herodoti cuiusdam glossario in Hippocratem, sed pro ignoti cuiusdam auctoris comparatione vocum Herodoti, antiquissimi historiarum scriptoris, cum Hippocratis vocibus habendum est. Quod luculenter exposuit Franzius, in praef. ad editionem lexicorum Hippocratis, quam paravit.

SECTIO V.
G A L E N U S.

Non ex omni parte laudabilem itaque fuisse conditionem, qua medicina gavisa est novissimis ante Galenum temporibus, ex his, quae attulimus, intelligitur. Hinc utique necesse erat, ut prodiret aliquis, ingenio, doctrina, et auctoritate, ceteris longe superior, qui negotio, quamvis arduo, se accingeret, omnium systematum medicinalium examinandorum, ut nempe pateret, quatenam fides iis esset tribuenda. Idque effecit Galenus, vir, quocum nullum prioris superiorisque aevi medicum facile compares, si Hippocratem excipias, quem non minus antecessit ingenii subtilitate et philosophiae licentia, quam ab ipso fidelissima morborum observatione, ac simplici curationis methodo superatus est.

Natus est Pergami, nobilissima ob Aesculapii templum Asiae minoris urbe, parentem haud ignobilem, Niconem, natus. Omnium fere eo tempore florentium in philosophia scholarum magistris celeberrimis usus, XXI. aetatis suae anno ad medicinam se contulit, et primum in ea praeceptorem ex Athenaei, pneumaticorum principis, schola habuit, quem vero postea deseruit, et Quinti discipulis, Numesiano, Pelope, Ephiciano, Satyro, praeceptoribus usus est,

maxi-

maxime tamen Stratonico Pergameno, Sabini auditore, et Lucio Alexandrino. Numesiani gratia Corinthum, Pelopis Smyrnam profectus est. In medicina igitur a diversis viris, diversarumque sectarum doctrinas profitentibus institutus, postquam per magnam Europae, Asiae, et Aegypti partem iter fecerat, medicamentorum loci natalis inquirendi causa, in patriam, XXVIII. vitae annum degens, reversus est, ibique gladiatorum valetudinem, a summo sacerdote ipsi commissam, curavit optimo successu. XXXIII. annos natus Romam adiit, ab Asclepiadis temporibus protrepticem Graecorum medicorum, qui ex ea urbe laudes et divitias et luxuriae spolia opima quaeque reportabant. Nimia vero propter feliciores curationes laude evectus, invidiam et odium medicorum sibi contraxit, quo permotus est, ut in patriam rediret, ibique maneret, donec a M. Aurelio Antonino Romam revocatus est, et medicina exercenda et docenda, et libris quamplurimis componendis vitam contrivit. Ad senectutem proventus, in patria mortuus est LXX. circiter annos natus.

Quid vero Galenus in medicina perfecit, hic nequit enarrari, quoniam totum eius systema ut explicemus, necesse foret, qua de re omnes scire ea cupidos ad Celeberr. *Ackermanni* historiam medic. cap. 32. relegabo, ubi Galeni systema plane singulari studio expositum legitur. Nobis haec sufficiant,

id praecipue molitum esse Galenum, ut ceterarum sectarum ruina parata, dogmaticorum antiquissimorum systema, cui etiam Hippocratem additum fuisse vult, restitueret, omnia melius componeret, nec, ut recentiores dogmatici fecerant, experientiam negligeret, sed potius duo medicinae principia statueret, rationem et experientiam, quod utrumque principium recta methodo esset coniungendum. Hinc quavis occasione, contra empiricam atque methodicam sectam scripsit, vehementius tamen in methodicos invectus, quos asinorum Thessalicorum atque medicorum methodi expertium nomine saepius appellavit. Ipse vero se nulli favere sectae, nec aliud quid, quam Hippocratis doctrinam restituere, quae in illo obscura sint, illustrare, quae minus vera, corrigere, aut si probata essent ab experientia, rationique consentanea, magis corroborare velle professus est.

Summum igitur studium merentur commentarii, quos Galenus in Hippocratem emisit, quibus accuratius examinandis laborem hoc loco impendemus. Et primum quidem gratias illi debemus, quod, cum omnium fere superiorum interpretum operam futilem et nullius pretii esse existimaret, et refellendis iis operam daret, nos eo ipso certiores fecit, qui qualesque viri ante Galenum in Hippocratem scripsissent. Deinde libris Hippocraticis censuram post Erotianum

tianum iterum adhibuit, adiuncta nonnunquam libri, de quo agit, historia. Porro textus scripturam vetustam restituere studuit, ac recentiorum, Artemidori Capitonis, Dioscoridis, reliquorum, in mutando textu errores investigavit, perstrinxit, correxit.

In explicando vero Hippocrate hanc imprimis mentem habuit, ut Hippocratem ex aliis libris locisque illustraret, probaret, aut corrigeret, quod optime apparet, si Epidemiorum et Aphorismorum interpretationes perlustramus. Neque tamen ex sua eruditionis copia Hippocratis doctrinas explanare noluit, quod praecipue in iis libris animadvertimus, quae ad rationalem disciplinam spectant, cum Hippocratem systemati suo consentaneum esse probare cupiens esset.

Omnium, quae suo tempore exsisterunt, Hippocratis operum enarrationes conficere quidem statuit, num vero ad finem id propositum perduxerit, dubium est, quoniam magna pars librorum, quos conscripsit, in incendio templi Pacis Romae interiit. Ad nos venerunt, et quidem ex theoreticis, commentaria in libros Hippocratis, de natura humana, de humoribus, de alimento, de aere, aquis et locis: ex practicis vero, in Prognosticon, in Prorrheticon libr. I. in Epidemiorum I. II. III. IV. et in Aphorismos: ex chirurgicis, de fracturis, de articulis, et de officina medici. Neque etiam librum, quem de Hippocratis et Platonis placitis scripsit, omittendum esse puto,
cum

cum ad enucleandam Hippocratis theoriam plurimum conferat.

Haec igitur sunt, quae de Hippocrate promeritus est Galenus; maiora adhuc, quae de universa medicina. Id vero admirationem movet, medicos illum excipientes tam parvam ex eius operibus collegisse utilitatem, ut adeo cum Galeno tota fere medicina rationalis interiisse videatur, si paucos, Aretaeum, Paulum, Alexandrum, eximas. Rem vero cum rite perpenderit, cessabit admiratio, et causae, cur ea taliter evenerint, ante oculos positae sunt, quas pro viribus nunc enucleabimus.

SECTIO VI.

MEDICINA POST GALENVN VSQVE AD ARABVM TEMPORA.

Sperari quidem poterat, sectarum omnium, rationali excepta interitum, quem Galenus paraverat, medicinali scientiae multum utilitatis adlaturum fore; idque factum fuisset sine dubio, nisi plura utilitatem illam in detrimentum vertissent. Non enim solum cum sectarum interitu partium studium defuit, sed, stimulo deficiente, qui medicos antea incitabat, ut scientiam suam magis magisque excolerent, ipsum artis studium

dium languebat. Paucissimi erant, qui Galenum legerent, quoniam alii omnes ceteri, invidia hominis ducti, qui omnes priorum suorumque temporum aspernatus erat, intacta eius opera relinquebant; imo paucissimi eum intelligebant, ob nimiam eruditionis molem, quam in libris eius inveniebant. Generatim enim iis temporibus cum ipso Romani imperii decremento scientiarum cultus desierat; prisca Romanorum libertas erat deleta, et ex Quiritibus Dominorum servi Romani facti erant. Quae princeps sine dubio causa fuit, quod, aurea aetate praeterlapsa, argenteam presso pede aenea sequuta sit; ea causa fuit, quod medicinae studium eo devenit, ut Dogmatici Galenum tantum coeco impetu sequerentur, Empirici, vetularum more superstitiosa medicamina colligerent, Methodicorum vero nomen penitus in oblivionem abiret. Hippocratem vero omnino deseruerunt medici, aut tantum ex Galeni operibus illius doctrinam sibi acquirere studuerunt. Neque iis ex causis eorum labor, qui hisce temporibus Hippocratem interpretati sunt, magni pendendus est; cum, quaecumque fere protulerunt, Galeni commentarios redoleant. Ex horum numero est

ORIBASIVS.

Sive potius ignotus aliquis auctor, christianae religionis cultor, qui commentariis suis in Apho-

E

rismo-

rifmos Oribasii nomen imposuit. Consulatur hac de re Fabric. Bibl. graec. t. II. ed. Harles. pg. 546. Neque intelligere possum, cur tanta laude primus Oribasii editor, Guintherus Andernacus eum extollat, cum nec interpretem Hippocratis clarum, nec bonum medicum se praestiterit, sed scholasticis tantum subtilioribusque definitionibus ac distinctionibus proferendis, nec non superstitiosis medicinis commendandis operam contriverit. Latina lingua scriptos esse eius commentarios, magis probabile mihi est, quam graeca; ex eaque causa forte haud commodus eorum est in nostra commentatione locus. Codices et editiones enumerantur a Fabricio l. c.

PHILOTHEVS.

Variis nominibus is homo insignitur. Alii libri, quos confecit, Philareti, alii rursus Theophili nomen in fronte gerunt. Sub initium septimi post Christum seculi vixisse creditur. Protospatharius nonnunquam dicitur, qua dignitate apud Heraclium imperatorem ornatum eum fuisse vult Lambecius. Ex eius operibus, quae supersunt, elucet, dogmaticorum systemati, quaecumque post Galenum id fuerat, eum fuisse additum.

Commentarios habemus in Aphorismos Hippocratis, modo Philotheo, modo Stephano, eius discipulo, adscriptos. Sic in codicibus bibliothecarum Vindobonensis, Mediceae, Philotheus auctor enarrationum

tionum dicitur, in codice vero biblioth. Caesar. Vindob. de Nessel. Stephani nomen adscriptum est iisdem, ut videtur, commentariis. In publica Univerſitatis noſtræ bibliotheca codex quidem exſtat horum commentariorum graecus, at ab initio et paulo ante finem mutilus, ſeculi, ut Cl. *Mannerti* auctoritate nitar, XV parte media exſcriptus, ad cuius ultimam paginam inter alia ſequentes verſus adiecit ſcriptor codicis:

δυνὸν δὲ τοῦτο ἐκ βιβλίου ἐγγεγραφεῖν
 τῆς τε Σεφάνου τοῦ λῖον σοφωτάτου
 καὶ Θεοφίλου τοῦ Βραχυλογωτάτου.

Fronti vero ſectionis ſecundæ Aphoriſmorum a recentiore manu adſcriptum legitur:

ἐξηγησίς τοῦ δευτέρου τμήματος Σεφάνου παλιν.

Cum tamen idem codex fragmentis, quæ enarrationibus ſuis in Aphoriſmos intercalavit A. Muſa Braſſavolus, omnino reſpondeat, aſſumendum forte eſſet, Stephanum Philothei commentaria incepta ad finem perduxiffe, aut, quod veritati magis conſentaneum videtur, Stephanum enarrationes hæſce in Aphoriſmos ex ore præceptoris, Philothei, accepiffe, ac poſtea divulgaffe. Hæc de auctore illorum in Aphoriſmos commentariorum ſufficiant.

Modus autem, quo Hippocrates in his enarrationibus illuſtratus eſt, ita eſt conſtitutus, ut cauſſa cuiuſque rei, quam memorat Hippocrates, ex dog-

maticorum mente explicetur, practica contra con-
filia plane negligantur, in eoque labore ex Galeni
commentariis plurima decerpta sunt, quamvis ipfius
Galenii rariffime mentio facta est. Quod optime
probatnr exemplo ex ipfis Philothei commentariis
adiecfo. In aphorifmum 5. L. III. fequentem emiffit
enarrationem:

„ Περὶ ὕδρων διαλεχθεῖς, νυν καὶ περὶ ἀνεμῶν διαλεγε-
ται. καὶ πρῶτον μὲν περὶ τοῦ νοτοῦ. Ἀλλ' οὗτος
θερμὸς ἐστὶ καὶ ὑγρὸς. καὶ θερμὸς μὲν, διὰ τὸ τὴν
κεκαυμένην ζῶνην πορευεσθαι ὑγρὸς δὲ, διὰ τὸ τὴν
λεπτομέρη ἀφαρπαζεῖν ὑγροτῆτα τῆς θερμότητι. Θερ-
μοὶ οὖν καὶ ὑγροὶ τὴν φύσιν οἷτες οἱ νοτοὶ, εἰ ἐπι-
κρητησοῦσι, βαρυντικοὶ καὶ διαλυτικοὶ τῶν σωματίων
ὑπαρχοῦσι. μετὰ γὰρ πολλῆς ὑγροτῆτος. τὰ τῶν
αἰδησεῶν ὄργανα ἀποφαινοῦσι, καὶ κρηβαρίαν ἐργα-
ζοῦνται τῷ πληθει. Τῆς δὲ ἀρχῆς τῶν νευρίων ὑγρὰν-
θεισης, ἀναγῆ καὶ τὰς κατ' ὄρμην ἐνεργείας, νω-
θροτέρως γενεσθαι. βαρυντικοὶ δὲ εἰρηγνται καὶ τὰ λοι-
πα, οὐχ' ὅτι αὐτὸν τὰ παθῆ προσκειτῆνται, ἀλλ'
ὅτι τῶν τοιούτων παθῶν αἰτιοὶ εἰσιν.“

Quae omnia, mutato tantum hoc vel illo verbo,
Galenus in commentariis ad hunc aphorifmum pro-
tulit. In Latinam transtulit linguam Ludov. Corradus.
Graeca editio adhuc defideratur.

STEPHANVS.

Athenienfis, Philothei auditor. Quid de eius
ſcholiis eis τοῦ Ἱπποκράτους ἀφορῖſμοὺς κατὰ ſυνόψιν
habendum fit, iam memoravimus. Commentarium
Stepha-

Stephani in Prognosticon exstitisse in bibliotheca Renati Moreau, ex Hallero discimus ¹⁾).

MELETIVS.

Monachus Hallero, Philosophus Fabricio cognominatus. Commentarios eius in Aphorismos ineditos latere in pluribus bibliothecis, Parisina, S. Remigii Rhemensi, ex Fabricio comperimus, si eius biblioth. graec. evolvimus, t. II. ed. Harles. pag. 547.

PALLADIVS.

Ante seculum XI. vixisse eum patet, cum Rhazes saepissime eum citet. Theoriam Galeni in libris suis conficiendis sequutus est. Commentarios fecit in Hippocratis libros de diaeta in acutis ²⁾, quos cum alio titulo *de cibo et potu* exstare in Bibl. reg. Paris. et in Medicea, Hallerus refert; porro in librum VI. epidemiorum ³⁾, in l. de fracturis (cuius genuinas origines defendit) de articulis, qui temporibus Palladii cum priori iunctus erat. Optandum est, ut huius viri commentaria in Hippocratem in unum volumen collecta publici iuris fiant, quae adhuc dispersa iacent.

ACTVARIVS.

Ioannes, Zachariae filius, a munere Actuarius nominatus, Constantinopoli vixit. Vrinarum disquisitioni

E 3

ni

¹⁾ *libl. pract. t. I. pag. 310.*

²⁾ *Santalbin. in praef. ad Pallad. schol. in Hippocrat. de fract. Foef. sect. VI. pag. 196. Spach. elencb. med. pag. 147.*

³⁾ *Fabric. bibl. graec. ed. Harles. t. II. pag. 566.*

ni in scriptis plurimam operam dedit, quae ad nostra usque tempora servata sunt. Commentaria eius in Aphorismos Hippocratis citant Fabricius et Hallerus, quos adeas 1).

Anonymorum commentarios graecos in Hippocratem, quos passim in bibliothecis latere novimus, omitto. Restat autem, ut ad calcem opusculi eorum adhuc mentionem faciamus, qui iniuria ab aliis in Commentatorum Coi senis numerum positi sunt. Quorum primus est

ERASISTRATVS.

Loca enim Galeni, quibus sententia Fabricii, commentatum eum esse in Hippocratem, nititur 2), nil aliud nos docet, quam, Erasistratum in I. quod scripserat de febribus, Hippocratem, sed potius discipulos Hippocratis accusavisse, eos aegrotos fame et siti necam intulisse. Eadem iure

CALLIMACHVS HEROPHILEVS

in interpretum gregem receptus est. Erotianus enim in praefatione his verbis usus est 3):

„Ξενοκρητος γαρ ὁ Κωος, γραμματικος ων, ὃς φησιν
 „ὁ Ταραντινος Ηρακλειδεις, πρωτος ἐξελαβετο τας
 „τοιαυτας ἐξαπλουں φωνας“ ὡς δε και ὁ Κιττιος

Απολ-

1) *bibl. graec. ed. Harles. t. II. pag. 548. bibl. praef. t. I. pag. 320.*

2) *bibl. graec. t. II. ed. Harles. pag. 558. 600.*

3) *praef. pag. 7. 8.*

„ Απολλωνιος ἰσθρει * και Καλλιμαχος ὁ ἀπο τῆς Ἡρο-
 „ φιλου οικειας.“

Num quid vero aliud haec omnia indicant, quam Callimachum Herophileum aliquo loco Xenocriti Coi interpretationum mentionem fecisse, minime vero, Callimachum ipsum Hippocratearum vocum dedisse explanationem? — Adde, quod Callimachus bis citatus in ipso opere Erotiano, non noster sit, sed poeta antiquus idem nomen gerens, quod apparet, cum ambo illa Callimachi loca 1) pentametri mensuram expleant.

T A N T V M.

THE-

1) pag. 250. 346.

THESES.

- I. Irritabilitas atque sensibilitas non diversae corporis humani vires habendae sunt.
 - II. Sunt enim non nisi diversae vis vitalis, quibus se exferit, facultates.
 - III. Caussam materialem ex indice caussarum morbi simplicis efficiendam esse credo.
 - IV. Num fines, quibus a medicis materiae medicae, therapeutices et therapiae specialis ambitus determinatus est, certi sint, adhuc dubito.
 - V. Distinctionem inter obstructions et infarctus, quam recentiores dederunt pathologi, parvae esse in praxi medica utilitatis, mihi persuasum est.
 - VI. Variolae, nostris quidem regionibus, vix aut nunquam extirpari possunt, praesertim si status civitatum idem maneret, qui hucusque fuit.
 - VII. An acrimonia scrophulosa sui generis existat, adhuc dubitandum est.
 - VIII. Sin vero adest, eam potius effectum morbi, quam caussam credimus.
 - IX. Signum essentiale febris ex pulsu celeri repetendum esse puto.
 - X. Digitalis purpureae usu pulsum lentiolem fieri, nego.
 - XI. Dysenteria simplex non nisi est catarrhus intestinorum.
 - XII. Medicus felix non ideo est medicus probatus.
-

Cf 1345

WIP

ULB Halle

3

007 678 444



NC



8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

DISSERTATIONEM INAUGURALEM MEDICAM
DE
INTERPRETIBVS HIPPOCRATIS
GRAECIS

ANNVENTE
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
IN
STVDIORVM VNIVERSITATE ALTORFINA
PRO
SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
ADIPISCENDIS

PVBlice PROPONET VENTILANDAM
AVCTOR
PAVL SIGMVND CARL PREV
NORIMBERGENSIS.

DIE V. NOVEMBER. MDCCLXXXV.

ALTDORFII
EX PRELO IOANNIS PAVLI MEYERI
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.